Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1433
Quelle:
Copyright:

autiſata per iudices fidei circa materiam polonorum ſunt XI. aſſertiones que extracte ſunt de tractatulo M. Job. Valkenkerg, de quibus queritur primo, an ſint ſapientes hereſim ſcandaloſe injurioſe &c. Secundo an etiam alique earum ſint hereticales et erronee in fide. &c. Adfirmat primum Noſter, negat ſecundum utrobique additis rationibus. Alterum igitur hic habemus laborem ejus conciliarem, quem nemo, quod ſciam, notavit.

IV. *fol.* 43. p. 2. *Job. Gerſonis* Opuſculum *de Praeceptis, de Confeſſione et de Scientia mortis.* Hic quidem ἀνεπιγραφως, ſed in Elencho, qui ad calcem *Codicis* habetur, Autori ſuo tributum. Init: *Chriſtianitati ſuus qualiscunque zelator* &c. Ut *Vol.* I. P. 2. *col.* 1529. et alias.

V. *fol.* 55. p. 2. *Confeſſio compoſita per D. Cardinalem Cameracenſem.* Puta *Petrum de Alliaco.* Sed non reperi in ejus Scriptorum recenſu apud *Trithemium, Launojum, Oudinum, Fabricium.* Nequeo tamen Codicem erroris coarguere, qui tot *Petro* Συγχρονα continet. Incipit Inſtitutio noſtra: *Quisquis a morte peccati ad ſalutis et gratie ſtatum velit reſurgere, et ut actus ſui et intentiones ad vitam eternam vtiles ſint* &c. Inſtituitur deinceps examen ſecundum VII. illa Peccata dicta *Capitalia.* Succedunt X. Obſervanda, *qualiter rite facienda ſit Confeſſio, Formula Abſolutionis*, et Methodus diſponendi Infirmos ad ſuſcipienda Sacramenta et pie obeundum. Finis: *ſicut in domo dei* (Hôtel Dieu) *pariſius laudabiliter obſeruatur.*

VI. *fol.* 62. Ventilantur et rite deciduntur Quaeſtiones hae: 1) *Vtrum ſit licitum emere uel uendere poſſeſſionem uel redditum ſub tali pacto. quod quando reſtitutum fuerit precium reſcindatur contractus et recuperetur poſſeſſio uel redditus ita quod fructus non reſtituantur?* 2) *Vtrum accipere aliquid vltra ſortem ſemper ſit vſura?* 3) *Vtrum ille qui in contractu emptionis alium decipit circiter dimidium iuſti precij teneatur reſtituere?* 4) *Vtrum reſtitutio ſemper ſit facienda illi, cui res eſt ablata?*

VII. *fol.* 75. *Sermo factus ad ſacroſanctum generale concilium Conſtan. per M. petrum dictum de pulka ſacre theologie et artium profeſſorem de ambaſiata alme vniuerſit. Studij Wien. in auſtria Anno domini 1416. dominica 13. que erat VI. dies ſeptembris.* In illud Luc. 17. *Ite oſtendite vos ſacerdotibus*, incipit: *Reuerendiſſimi* &c. *Imperfectum meum videntibus oculis meis* &c. Non ſemel indicatus *Vol. ſup.*

VIII. *fol.* 89. Absque inſcriptione, ſed juxta Elenchum ſupracit. *Tractatus editus per modum dialogi de poteſtate eccleſiaſtica* incipit: *Petrus. Nunc reſtat tibi, vt que de natura titulorum beneficialium eſt ſentiendum in medium ediſſeras* &c. Habemus igitur prae oculis *Speculum aureum Papae*, niſi is titulus ſeculo primum XVI. et VII. excogitatus ſit a *Goldaſto*

et